



044

042

048

038

053

033

093

143

543

Ende

Anfang

de itinere nostro et libenter audivit nos. Interrogavimus et nos
eum de navibus Alexandrinis, an cito recessurae essent? Et in-
telleximus ab eo, quod in eisdem navibus in Italiam navigare in-
tenderet, de quo laetati sumus, quia maxime timuimus, quod eas
negligeremus, ut patet supra fol. 56. b. Interrogavimus deinde
virum, an semper in illa urbe degeret, et respondit, quod non,
sed vestri, inquit, Teutonici mercatores fecerunt me nunc de Ale-
xandria in Cairum ad Soldanum ascendere, nam ipsi veniunt Ve-
netias et species aromaticas recipere a nobis nolunt, nisi pur-
gatas et electas et exquisitas, et quidquid eis non placet rejici-
unt, nos vero in Alexandria cogimur recipere naves plenas a
Sarracenis, sine purgatione et sine electione, nec sinunt nos ali-
quid rejicere, sed sicut de India veniunt, sic oportet accipere,
nec permittunt, ut videamus prius, quam emamus. Sum ergo hic,
ut querimonias proponam regi Soldano, tam contra Orientales,
quam contra Occidentales. Contra Orientales quidem, quia dant
nobis species inutiles nec volunt, ut eas probemus; et contra
Occidentales, quia nolunt a nobis recipere nisi species probatas
et electas. De his diu cum viro contulimus, erat enim vir ami-
cabilis et valde veneranda canitie ornatus, longam habuit barbam
et frontem calvitie depilatam, quae calvities eum plurimum hone-
stabat et decorabat. Et ego non dubito, si Caesaris primi cal-
vities sic eum decorasset, non tantum apud senatores laborasset
pro obtainenda perpetua laurea ad contegendarum calvitiem. Si lec-
tori placet legere de Calvis, quorum fautor ego sum, videat P.
1. fol. 203. B. Fuit etiam vir personatus et eloquens, longa tunica
de rubeo Damasco indutus, et mulus ejus, in quo per civitatem
ibat, phalera serica tectus erat. Hunc virum vidi XLII die post
hoc scindi per medium et exenterari sicut pisces et omnia
interiora ejus projici, ut patebit fol. 175 a. Commendavimus ergo
nos ei, et ad domum nostram reversi sumus.

Post prandium ducti sumus in curiam filii regis Siciliae, qui
curialis est domini regis Soldani (**86 a**) illo tempore, et cum
aliis Mamalucis comparet horis statutis ante Soldanum, non tamen
abnegaverat fidem, nec Mamalucorum portat vestem, sed mani-
festus Catholicus fuit cum omnibus servis suis; hunc pater suus,
rex Neapolitanus, misit ad serviendum regi Soldano, pro quadam
gloria saeculari. In illa curia vidimus mirabiles bestias et simias